Christiani Risii Ao 97. d. 25. Junii

Shelf
6242

Sum Bu[illegible]

ad 1686. 3. Fbris.

vide Dreieri diss. c^{tra} Pontificios de hac m^{at}ä a^o 1649. editam p. 831.

Vid. & hac mñe Dreieri Disp. 28. g. Pontificios p. 877.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

INVOCATIONE SANCTORUM

CONTRA PONTIFICIOS,

Quam

Adsistente divina gratia

Ex decreto & jussu Magnifici Dn. Rectoris & Amplissimi Senatus Academici,

Juxta statuta

Venerandæ Facultatis Theologicæ

PRO LOCO

In Extraordinaria S.S. Theologiæ

Professione obtinendo,

Publico eruditorum examini submittit

JOHANNES LATERMANNUS,

S.S. Theol. Doctorandus,

RESPONDENTE

JACOBO EBENRETTER/

Hilperhusano Franco.

Ad diem XVII. Januarij in Auditorio majori horis ante & pomeridianis.

REGIOMONTI,

EXCUDIT JOHANNES REUSNERUS

ANNO 1647.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,
S.R.I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,
BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM AC VANDALORUM, CROSNIÆ ET JÆGERNDORFFII IN SILESIA DUCI, BURGGRABIO NORINBERGENSI, PRINCIPI RUGIÆ, COMITI MARCHIÆ ET RAVENSBERGI, DOMINO IN RAVENSTEIN,
&c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Exercitationem hanc præliminarem in debitæ gratitudinis & devotæ subjectionis signum

humilimè offert

JOHANNES LATERMANNUS,
S. S. Theol. Doctorandus.

Corollaria.

I. Poteſtné homo ex propriis & naturalibus liberi arbitrij viribus ſe ad Deum convertere? N. contra Pelagianos.

II. Poteſtné homo (NB.) ex propriis & nativis viribus ſuis gratiæ Spiritûs S. ſive in converſione, ſive poſt converſionem ulla ratione cooperari? N. contra Semi-Pelagianos & Synergiſtas.

III. Poteſtné & debet homo, ſtatim atq; Spiritus S. opus regenerationis inchoavit, eiq; vires ad converſionem neceſſarias ac ſufficientes contulit, per collatam novam illam Spiritûs S. virtutem cooperari? A. cum Formula Concordiæ p. 674.

IV. Paulus in IX. X. & XI. capitibus ad Romanos agitné ex profeſſo, directè & principaliter de decreto electionis? N. contra Reformatos.

V. Poteſtne fidelis abſolutè certus eſſe de perſeverantia & futura ſalute ſua? N. contra eosdem.

VI. Num ille, qui per fidem ſe ad Deum convertit, de remiſſione peccatorum & gratia DEI poteſt & debet eſſe certiſſimus? A. contra Pontificios.

VII. Num idem de ſua in bono perſeverantia & futura ſalute poteſt & debet eſſe certus ordinatè

natè sive conditionatè? A. cum orthodoxis.

VIII. *Num bona opera necessaria sunt ad salutem efficiendam sive promerendam? N. contra Pontificios.*

IX. *Num studium virtutis & pietatis rectè dicitur conditio in omnibus requisita, qui salvi esse cupiunt, sine qua salus non datur? A. cum Meisnero, Gerhardo, aliisq; orthodoxis.*

X. *Num illud S. Bernhardi* (de gr. & lib. arb.): *Studium pietatis est VIA REGNI, NON CAUSA REGNANDI: recto stat talo? A.*

Hæc eum in finem apposui, non ut de iis ex professo nunc disputetur, sed ut occasio mihi exhibeatur, perspicuè demonstrandi, disputationem meam De æterna DEI prædestinatione *antehac habitam nihil quicquam prædictarum hæresium & errorum continere; sed ab iis prorsum & omninò immunem esse. Phrases item & modos loquendi, quos nonnulli durioribus & minùs usitatis annumerârunt, & adhuc memoratis erroribus favere censent, tales non esse; sed alios, & præcipuos quidem, commum veterum juxtà ac recentiorum Theologorum usu frequentari, alios classicis & optimæ notæ scriptoribus usurpatos esse, alios deniq; si non ijsdem planè, similibus tamen verbis in Orthodoxorum scriptis reperiri. Quæ omnia interrogatus publicè & ad oculum bono cum DEO cuilibet sum demonstraturus.*

DE INVOCATIONE SANCTORUM CONTRA PONTIFICIOS

EXERCITATIO in duas quæſtiones diſtincta.

QUÆSTIO I.

An Pontificij ob invocationem Sanctorum idololatriæ jure meritoq; accuſentur?

EX quo vis aliqua mentis meæ ſe exerere cœpit, & de iis, quæ ſuperiori ſeculo contigerunt, judicare potui, inter omnia, quæ DEUS per Reformationem Eccleſiæ præſtitit beneficia, illud ſemper primo loco collocavi, quòd religioſus, qui per preces exhibetur, cultus ad priſtinam ſimplicitatem & integritatem per eam reductus eſt. Ut enim ſilentio nunc prætereara cultũ precum piis à primordio mundi uſitatum, omnes certè, qui novi fœderis temporibus primi Chriſto ſacramentum dixerunt, quiq; proximis eos ſeculis ſunt conſecuti, nequaquam ad Angelos, multò minùs autem ad ſanctos vitâ functos; ſed ſolum DEUM preces ſuas direxerunt. Præſtò eſt quatuor Evangeliſtarum hiſtoria, in manibus omnium verſatur actuũ Apoſtolicorum liber; nec deſunt monumenta antiquiſſimorum Patrũ, eaq; genuina, quæ id luculenter demonſtrant.

II. Non eſt noſtri inſtituti, fusè nunc iſta perſequi: ad alia n. properamus, conſideraturi, num invocatio Sanctorum, ut ab aliquot ſeculis in eccleſia Pontificia communi uſu frequentata fuit, & adhuc hodiè frequentatur, idololatriæ crimine contaminata ſit? Adſcribam tamen unum ex antiquiſſimo ſcripto locũ, qui nos abundè edocere poteſt,

veteres Christianos Sanctis, qui ex hac vita in aliam & beatiorem commigrârunt, hautquaquam adorationis seu religiosæ invocationis; sed mutuæ tantùm dilectionis & fraternæ societatis cultum exhibuisse. *Hunc quidem,* inquiunt Smyrnenses apud Eusebium (Christum videlicet) *tanquam Dei Filium adoramus, martyres verò tanquam discipulos & imitatores Domini dignè propter insuperabilem in Regem ipsorum ac Præceptorem benevolentiam diligimus, quorum & nos consortes & discipulos fieri optamus.* Hæc illi, quæ ex aurea Ecclesiæ Smyrnensis epistola circulari depromsimus, quam Eusebius nobis conservavit & Chemnitius anno post natum Servatorem 160. scriptam esse existimat.

l. 4. hist. c. 15.

III. Subijcio ex eadem epistola oratiunculam S. Polycarpi, quam ille martyrio proximus & rogo jamjam imponendus ad sacro-sanctam & individuam Trinitatem fudit. Verba ita habent: *Pater dilecti ac benedicti Filij tui Jesu Christi, per quem cognitionem tui accepimus, Deus Angelorum ac virtutum omnisq; creaturæ, & omnis generis justorum, qui vivunt coram te, tibi gratias ago, quòd hac me die & horâ dignatus es, ut partem accipiam in numero martyrum, in populo Christi, ad resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritûs S., in quibus suscipitur in conspectu tuo hodiè, in sacrificio pingvi & accepto, sicuti præparâsti, jam antè patefecisti & adimplesti, qui mentiri nescis Deus verax. Quapropter & de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per æternum Pontificem Jesum Christum Filium tuum dilectum, per quem tibi unà cum ipso & Spiritu S. sit gloria nunc & in futuris seculorum seculis, Amen.* Ita S. Polycarpus Apostolorum discipulus & φοιτητὴς nec Angelos nec sanctos demortuos; sed solùm Deum invocavit. Patrem etiam non per alium, quàm *per æternum Pontificem J. C. Filium ejus dilectum* laudavit & glorificavit.

IV. Cœterùm lapsu temporum ut omnia in deterius

ruere

ruere solent, ita quoq; cultus precum, quo praxis Christianorum maximam partem absolvitur, superstitiosis opinionibus & cultibus haud parum corruptus fuit, donec tandem à seculis ad secula ad immodicam prorsus, quin planè idololatricã Sanctorũ venerationem progressus factus est. Qui historicam narrationem videre desiderat, adeat antiquitatis ecclesiasticæ, quin omnis solidæ & accuratæ doctrinæ promtuarium, Chemnitium nostrum: ille n. historiam de origine & progressu invocationis Sanctorum ex præcipuis scriptoribus summâ diligentiâ contexuit. Idem in eo utilissimam ecclesiis nostris operam præstitit, dum preces quæ idololatriam partim sapiunt, partim manifestè continent, & à Pontificiis tum in publicis congressibus, tum aliàs usurpantur, collegit & omnium oculis exposuit. Ego lectorem eò nunc remitto, & sequentes tantùm precatiunculas adscribo, quibus Pontificij B. Mariam virginem & alios sanctos hodieq; invocant:

Exam. Conc. Trid.

V. *Obsecro te, Domina, sancta Maria, Mater* DEI, *pietate plenissima, summi Regis Filia, mater gloriosissima, mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantium, virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum: fons misericordiæ, fons salutis & gratiæ, fons consolationis & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ,— peto, ut cum omnibus sanctis & electis* DEI *venias, & festines in auxilium & consilium meum, in omnibus orationibus & petitionibus meis, & in omnibus angustiis & necessitatibus meis. Et in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid facturus, locuturus aut cogitaturus omnibus diebus ac noctibus, horis atq; momentis vitæ meæ.*

Et iterum ad Mariam & Johannem: *Inclina Mater misericordiæ aures tuæ pietatis indignis supplicationibus meis, & esto mihi miserrimo peccatori pia & propitia in omnibus auxiliatrix. O Johannes beatissime, Christi familiaris & amice — vobis*

bis duobus ego miserrimus peccator commendo hodiè corpus & animam meam. Et iterum ad Mariam: *ô Maria, Dei genetrix & virgo gratiosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera, — me digneris juvare, ut perpetuæ damnationis sententiam per te, pia Mater & virgo, valeam evadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire.* Et has preces ex libello depromsimus, qui Parisiis Latino & Gallico idiomate excusus, & à Sorbonistarum collegio anno hujus seculi 26. approbatus est. Inscriptio ita habet: *Heures Par Le commandemant du Roy, A Paris Chez Nicolas de la Vigne Prés la Porte S. Marcel.*

VI. Subjicio precationem, quæ vernaculâ linguâ populo præscripta, & Coloniæ in templo undecim mille virginum publicè in tabula proposita visitur: **O Brun der ewigen vnd himlischen Gnaden/ verlaß mich nicht/ sondern nim mich vnter deinen Mantel deiner grundlosen Barmhertzigkeit/ O vnser aller Leben/ O Hülfferin in aller Angst vnd Noth/ O Vrsprung vnsers Heils/ O Anfang vnsers Lebens/ O Erlöserin des menschlichen Geschlechts/ O Verenderin des natürlichen Lauffs/ O Ernewerin der menschlichen Natur/ O Mittlerin zwischen GOtt vnd Menschen/ O Hoffnung vnser Belohnung/ etc.**

Ibidem in quadam summi templi columna æreæ tabulæ insculptum prostat:

Vryshem Sancte meum fero Petre tibi comitatum,
& mihi redde statum, te precor, ætherium.

VII. Sequuntur aliæ preces:

	O felix puerpera,	*Nostra pians scelera,*
	Jure matris impera	*Redemtori.*
Itē.	*Solve peccamina*	*Relaxa crimina, Maria.*
	Restaura perdita,	*Dimitte debita, Maria.*
	Nos à miseria,	*Reduc ad gaudia, Maria.*

Item:

Item: *Jus præcipit & ratio,* | *Ergò ora suppliciter,*
Ut mater præsit filio, | *& præcipe sublimiter.*
Item: *Maria Mater gratiæ,* | *tu nos ab hoste protege,*
Mater misericordiæ, | *& hora mortis suscipe.*
Item: *Sub tuum præsidium confugimus sancta* DEI *genetrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed à periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa & benedicta.*

Rursus: *Si sit multum, quod peccamus. Tui sumus, & speramus per te salvi fieri.*

VIII. Has & similes alias precandi formulas Pontificij etiamnum adhibent, quas non superstitiosas tantùm, sed idololatricas esse, quilibet videt, & demonstrari facillimè potest. Quæcunq; enim preces cultũ soli DEO debitũ, qui uno verbo *religiosus* dicitur, in creaturas transferunt, ab idololatriæ crimine non sunt immunes. Sed preces, quas attulimus, cultum religiosum creaturis tribuunt. Ab idololatriæ igitur crimine excusari non possunt. Quò proinde se contaminant, quotquot inter Pontificios preces illas in eo, quem simpliciter acceptæ in cujusvis intellectu gignunt, sensu ad sanctos fundunt. Sed illi (Pontificij) minorem allati argumenti propositionem inficiantur, quam nos ita confirmamus: Quibus precibus sancti ut donatores & largitores omnium beneficiorum tam animi, quàm corporis, tam eorum, quæ in hac mortali vita nobis obtingunt, quàm quibus in altera vita coronabimur, invocantur, iis precantes quoad omnia sanctis sese submittunt, adeoq; religiosum eisdem cultum exhibent. Atqui precibus ejusmodi sancti ut donatores & largitores omnium beneficiorum tam animi, quàm corporis, tam hujus, quàm alterius vitæ invocantur. Ergò precibus istis orantes quoad omnia sanctis sese submittunt, adeoq; religiosum iisdem cultum exhibent.

IX. Et iste discursus in ipsa religiosæ venerationis natura fun-

ra fundatur: ut n. omnis alius, ita divinus quoq; & religiosus cultus partim ab intellectu, partim à voluntate dependet, intellectus objecti colendi excellentiam, Deum videlicet, ut omnis boni fontem, autorem & largitorem cognoscit; voluntas a. in objectum ita cognitum fertur, & omni fiduciâ suâ in Deo recumbit. Solet præter intellectûs & voluntatis munus (ut hoc obiter moneam) etiam exterior gestus addi, quando de veneratione agitur: sed ille ad ipsam cultûs essentiam non pertinet. Unde iidem gestus (incurvatio corporis, genuflexio &c.) cultui religioso & non religioso communes sunt. Ne nunc de eo quicquam dicam, sine omnibus externis gestibus cultum sive honorem præstari posse. Notandum prætereà, in inclinatione voluntatis, de qua diximus, sive in omnimoda illa, ut nonnulli vocant, subjectione, cultum religiosum, qui soli Deo debetur, vel maximè consistere.

X. Ex quibus omnibus manifestum est, illis, quas attulimus, & quæ eis similes sunt, aliis Pontificiorum precibus, cùm omnimodam animi submissionem includant, divinum seu religiosum cultum Sanctis exhiberi. In quam sententiam M. Antonius de Dominis præclarè ita scribit: *l. VII. de Rep. eccl. c. XII.* *Oppositio* (Protestantium) *maxima meo judicio* (illa) *est, quòd invocatio Angelorum, sive Deiparæ virginis, sive aliorum Sanctorum, quorum animæ sint cum Deo in cœlis, in proximo periculo sit, ne fiat cum religioso cultu. Nam & plebem rudiorem religiosè sanctos invocare, & magis plurimos internè religioso affectu erga beatam virginem, aut aliquem Sanctum affici, quàm erga Christum, non est dubium. Neq; n. invocant Sanctum tanquam precatorem; sed tanquam principalem adjutorem. Neq; dicunt ora; sed adjuva, occurre, salva &c. Neq; aut exprimunt, aut mente intelligunt, ut hæc fiant orando; sed ut ipsi sancti se ipsis immediatè hæc faciant; eosq; rogando plurimi virgini Mariæ, & sanctis se totas, totam animam, totum spiritum,*

& in

& in spiritualibus penitùs subijciunt, quæ est idololatria quædam formata. Hactenus ingenua M. Antonij de Dominis confessio, qui aliàs in excusanda & extenuanda Sanctorum invocatione totus ibi est.

XI. Subijcio verba Georgij Cassandri, Theologi doctrinâ & singulari animi moderatione in Germania quondam clarissimi, qui eam ob causam ab invictissimis Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. de conciliandis articulis inter nos & Pontificios controversis consultus & in aulam adscitus fuit. Verba, ad quæ respicio, ita habent: *Alter error est, quòd homines etiam non mali certos sibi Sanctos, tanquam Patronos & tutores delegerunt, in eorum meritis atq; intercessione plus, quàm in Christi merito fiduciam posuerunt, atq; adeò unico illo advocationis Christi officio obscuratô Sanctos, atq; imprimis virginem Matrem, in illius locum substituerunt. Imò non defuerunt viri etiam celebres, qui assererent, id quod Hester Assuero promisit, se petenti, dimidium regni daturum, in Maria completum esse, in quam DEUS regni sui, quod judicio & misericordia constat, dimidium, h. e. misericordiam transtulerit, alterâ regni parte sibi retentâ. Hinc illi tituli passim virgini tributi: Regina cœli, mater misericordiæ, vita, spes nostra, lux ecclesiæ, advocata & mediatrix. Quæ etsi commodam interpretationem admittant, ea tamen non semper omnibus, præsertim rudibus & imperitis occurrit. Quid quod totum psalterium, sublato ubiq; Domini nomine, in nomen Dominæ commutatum legitur? quin & eò ventum est, ut etiam Christus jam in cœlo regnans, matri subijciatur: quomodo in nonnullis ecclesiis canitur:* *Consult. de art. Aug. conf. art. 21.*

Ora matrem & jube Filio.

Item: *O felix puerpera* | *Jure matris impera*
Nostra pians scelera, | *Redemtori.*

XII. Hæc etiam fassus est Cassander, qui tamen in ecclesia

clesia Pontificia perpetuò vixit. Insinuat equidem, erronea ista *commodam interpretationem admittere;* sed benè addit: *ea tamen non semper omnibus, præsertim rudioribus & imperitis occurrit.* Commoda, de qua loquitur, interpretatio, nisi me omnia fallunt, ista est, quòd B. Maria virgo eam ob causam mater misericordiæ, advocata & mediatrix meritò audire posse videatur, quoniam advocatum & mediatorem nostrum, qui fons misericordiæ est, peperit. Sed ne illud nunc urgeā, absurdā & longè petitam, nec rudibus & imperitis obviā esse interpretationē illam, ut Cassander ex parte lubens concedit: aliud certè & longè excellentius quid Mariæ tribuitur, quando cum Biele adseveratur, quòd DEUS dimidiam regni sui partem, misericordiam videlicet, in eam transtulerit, quando ea, quæ à Spiritu S. in toto Psalterio DEO O. M. aliàs tribuuntur, & ei soli competunt, Mariæ tanquam Dominæ transcribuntur, quando eidē imperium in filium, qui cum DEO Patre æquali potestate gaudet, adscribitur, quod postremum præ cæteris omnibus non impium saltem; sed absurdum insuper, quin planè ridiculum & ineptū est. Si enim mater Domini ne in nuptiis quidem Cananæis jure materno uti potuit, aut debuit, quî in negotio salutis possit? Et quis ignorat, aliàs etiam jus maternum in politia hautquaquam in omnibus valere? Nemo certè Principum, nemo eorum, qui regimini præsunt, consiliariorum, nemo consulum matrem suam in gerenda Rep. consulere tenetur.

XIII. Ista omnia igitur salvà DEI & Christi gloriâ probari non possunt. Id quod moderatiores ex ipsis Pontificiis agnoscunt. Unde preces illas, quibus à Sanctis petitur, ut vitam æternam largiantur, istâ expositione, ut notum est, juvare & emollire conantur: *Petre dona mihi vitam æternam,* h.e. *à DEO precibus tuis impetra, ut donet mihi vitam æternam.* Sed præterquam quòd interpretatio illa coacta

est

eſt & maximè violenta (verba n. prout jacent & ſonant, accepta alium prorſus in intellectu cujusvis hominis ſenſum efficiunt,) ipſæ etiam preces illæ, quibus ſancti vitâ functi, ut intercedant, implorantur, inutiles ſunt & ſupervacaneæ, ut paulò pòſt dicemus. Illud extra aleam controverſiæ poſitũ eſt, ſimplices formulis iſtis: *Petre dona mihi vitam æternã,* & ſimilibus miſerè ſeduci & idololatriæ laqueis irretiri.

XIV. Faxit Deus, ut Pontificij doctores aliquando magis in illis precandi formulis, quæ manifeſtã idololatriam continent, abrogandis, quàm emolliendis occupentur: quid n. juvat, aliquam in doctrina præ ſe ferre mutationem, ſi ipſa praxis & ſimpliciorum quidem, quæ communis eſt, præſentiſſimo periculo expoſita, imò ipſi idololatriæ immerſa manet? Notanter de communi ſimpliciorum praxi potiſſimùm loquor: qui n. inter eruditos pij ſunt, prudentes, & cordati (qualis Georgius Caſſander fuit) eos preces iſtas idololatricas aut planè non uſurpare, aut in iſto, quem virtus dictorũ aliàs poſtulat, ſenſu non adhibere, facilè credimus. Unde adeò imprudentes non ſumus, ut omnibus Pontificiis ſine diſcrimine idololatriæ crimẽ impingamus. De Georgio Caſſandro, cujus jamjam mentionem faciebamus, Chemnitius memorat, quòd in colloquio quodam ſuper invocatione ſanctorum inſtituto tandem poſt multas velitationes reſponderit: *Ego in meis precibus non ſoleo Sanctos invocare, ſed invocationem dirigo ad Deum ipſum, idq́; in nomine Chriſti, id n. tutius eſſe exiſtimo.* Ita ille. *Exam. Conc. Trid. de inq. ſanct.*

XV. Cœterum ſi ipſa praxis apud Pontificios, ſimpliciorum imprimis, quæ, ut dixi, communis eſt, attendatur, *dubium non eſt, plurimos religioſè Sanctos invocare, & magis internè religioſo affectu erga beatam virginem aut aliquem Sanctum affici, quàm erga Chriſtum*, ut M. Antonius anteà fatebatur, qui in eccleſia Pontificia natus & educatus eſt. Caſſander, qui in eadem mortuus eſt, non diffitetur (ut itidem

ſuprà audivimus) *quòd homines etiam non mali* (h.e. ſimplices) *certos ſibi Sanctos, tanquam Patronos, & tutores delegerint, in eorum meritis atq; intercesſione, plus quàm in Chriſti merito fiduciam poſuerint, atq; adeò, unicô illô advocationis Chriſti officiô obſcuratô, Sanctos, atq; imprimis Virginem Mariam, in illius locum ſubſtituerint.*

XVI. Pontificij ſontico huic malo facilè medicinam adhibere poſſunt, ſi formulis precandi, quas verbum DEI præſcribit, & primorum ſeculorum Chriſtiani adhibuerunt, nobiſcum utantur. *Illud libenter fateor*, ait rectè Chemnitius noſter, *in Sequentiis, Hymnis & collectis, multas veras & pias ſententias, eleganti & erudita brevitate comprehenſas, contineri, quas meritò amamus, retinemus & uſurpamus.* Illas Pontificij etiam ament, retineant & uſurpent. Addit Chemnitius: *dolendum v. eſt, multa admixta eſſe, quæ verbo DEI non ſunt conſentanea; ſed manifeſtam ſuperſtitionem redolent.* Iſta iidem aboleant, & cultus precum priſtinæ ſimplicitati & integritati ſuæ reſtitutus erit. Ante biennium canonem Miſſæ, quo Pontificii utuntur, in Germanicam lingvam noſtram translatum, & Coloniæ in gratiam plebis excuſum vidi, eo ſcilicet fine, ut plebs preces, quas Sacerdos latino idiomate demurmurat, in vernacula lingva fundere poſſit. Canon iſte maximam partem antiquus eſt, & multas piiſſimas veterum preces continet. Quòd ſi igitur ejusmodi libri in locum aliorum ſuperſtitioſorum & idololatricorum paulatim ſubſtituantur & in illis etiam, quæ ſuperſtitioſa fortè & verbo DEI minùs conſentanea ſunt, expungantur, communis Pontificiorum praxis feliciter corrigi poterit.

QUÆSTIO II.

Quid de precibus, quibus intercesſio à Sanctis petitur, & veteres etiam uſi ſunt, ſtatuendum?

Cani-

I. *Canicies Patrum*, ait Chemnitius, quem ut insignem antiquitatis ecclesiasticæ amatorem & æstimatorem sæpius jam laudavimus, *reverenter tractanda est, salvâ tamen verbi* DEI *præeminentiâ & fidei sinceritate*. Nos huic saluberrimo summi viri monito locum, ut par est, relinquemus, si prius exposuerimus, de quibus precibus deinceps acturi simus. Non lubet autem istas Pontificiorũ precationes hîc pluribus examinare, quibus illi Sanctos adorant & religiosè invocant, dum eos, ut omnium & animi, & corporis, & fortunæ bonorum largitores implorant. Istius generis precandi formulas ut superstitiosas & idololatricas jam antè rejecimus. Nec de illis precibus solliciti erimus, quæ non tantùm intercesfionem; sed merita quoq; Sanctorũ comprehendunt, & adhuc hodiè à Pontificiis ad istum modum usurpantur: *Precibus & meritis B. Mariæ semper-virginis & omnium Sanctorum perduc nos, Domine, ad regnum cælorum.* Ejusmodi orandi formulæ, quia gloriæ soli Servatori J. C. debitæ detrahunt, ejus meritum obscurant, & homines ab unico vero mediatore ad alios adulterinos abducunt, nullo pacto tolerari possunt aut debent. *Unus est mediator*, inquit Paulus, *Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Et S. Johannes: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem J. C. justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et iterum S. Paulus: *Per Christum habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ipsius.* Hæc illi.

l. c.

1. Tim. I.

1. Joh. II.

Eph. III.

II. Nos impræsentiarum, quid de precibus, quæ nudam intercessionis petitionem involvunt, sentiendum sit, videbimus. Exempla precum illarũ sunt, quando exempli causâ dicitur: *S. Petre ora pro me. S. Paule precibus tuis* DEO *salutem meam commenda*. Nuda hæc est, ut videmus, mortuorũ sanctorum compellatio, ad eum modũ instituta, ad quem sanctos adhuc superstites monemus & invitamus, ut precibus suis apud DEUM pro nobis intercedant. Quo

 sensu

Rom. XV. 30. sensu Paulus ad Romanos scribit: *Obsecro vos Fratres per Dominum nostrum J. C. & per caritatem Spiritûs S., ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Atq; de ista nuda compellatione principaliter inter nos & Pontificios non controvertitur, *de religiosa invocatione unicè inter nos & Pontificios quæstio est*, ait Gerhardus, ubi nudam illam compellationem religiosæ invocationi accuratè contradistingvit.

Conf. cath. l. 2. part. 2. art. 10. c. 2.

III. Discrimen illud ideò probè observandum est, ne idololatricas & sequiori ævo in ecclesiam invectas orandi formulas cum precibus veterũ, quæ compellationem tantùm sonant, confundamus, & omnes sine discrimine idololatriæ incusemus & condemnemus. Seculò post natũ Servatorẽ quartô compellatio mortuorũ sanctorũ jam tum cœpit, & posteà propemodũ universaliter in ecclesia recepta est, ut viri in antiquitate ecclesiastica versatissimi observant. Illas igitur veterum preces, quibus sancti in patria constituti invitantur, ut apud Deum pro iis, qui adhuc in via sunt, tantũmodò orent, ab idololatriæ labe immunes esse, haud illubenter concedimus: nihil aliud enim nisi humanum quid Sanctis tribuunt, siquidẽm, nudè orare pro altero, extra controversiam non divinum, sed humanum quid est.

IV. Cœterùm ita canities Patrum, ut Chemnitius monuit, reverenter habenda est, ut salva tamen maneat verbi divini præeminentia. Nequaquam igitur compellatorias (si ita appellare fas est) seu invitatorias, de quibus diximus, preces probamus; sed potius ob sequentes gravissimas causas improbamus. Primò, quoniam in Scriptura S. unica & perfectissima credendorũ norma, precũ ad beatos, qui jam in cœlis cum Christo sunt, directarũ, nec vola, nec vestigiũ ullum apparet. Illa ad solũ Deum nos remittit: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Et istud *non leve*, ut Chemnitius præclarè loquitur, *sed maximi momenti argumentũ est. Nullum enim dogma in ecclesia vel pro-*

Psal. 50. 15.

l. c. p. 293.

ponen-

ponendum, vel recipiendum est, de quo nulla in Scriptura canonica extent certa, firma & perspicua testimonia. Hæc ille.

V. Deinde ideò preces, quæ nudam compellationem continent, non adhibendas esse censemus, quia frustraneæ sunt & inutiles. Sancti enim etiamsi ecclesiam militantem in statu calamitatibus & miseriis obnoxio versari in genere norint, singulorum tamen necessitates nequaquā cognitas habent atq; perspectas. Nec preces implorantium, quia absentes sunt, audiunt, aut ulla alia ratione cognoscunt. Cui adsertioni demonstrādæ multa Scripturæ dicta & argumenta Theologica suppeterent; sed nunc illud tantùm urgebo, ipsos Pontificios tacitè fateri, se certū, quô nitantur, fundamentū non habere, dum alij ad peculiarem DEI revelationem, alij ad beatificā ejusdem visionem recurrere necessum habent. Neutrū autem stat firmo talo. Non prius: in verbo DEI enim, quod voluntatis divinæ indiciū nobis facit, nullibi significatur, Deum sanctis in cœlo existentibus preces in terris eos compellantiū revelaturum. Nec posterius: non sequitur enim; Qui Deū intuitivè cognoscit, in Deo omnia videt & cognoscit: nam angeli vident *faciem patris cœlestis,* Matth. XVIII.10. nec tamen cognoscunt tēpus, quod extremo judicio destinatū est. *De die illo,* inquit Servator, *nemo scit, ne quidem angeli cœlorum.* Matth. 24. 36. Sancti igitur ideò frustrà precibus compellantur, quia eas non cognoscunt.

VI. Prætereà non frustraneæ tantùm; sed superfluæ etiam sunt preces, de quibus disputamus. Beati enim eâ erga nos caritate præditi sunt, ut, quoad statum rerū nostrarū cognitū habent, suâ sponte precibus suis apud Deum pro nobis intercedant. Benè igitur Chemnitius: *De ipsa etiam* p. 308. *compellatione,* inquit, *res plana est. Etiamsi enim beati in cœlo orent pro ecclesia, non tamen sequitur, ipsos in oratione nominatim à nobis esse compellandos. Nullum enim dubiū est, fideles in Africa & India orare pro ecclesia; sed non sequitur, quando vel*

coràm, vel per literas non possum cum ipsis agere, me eos in oratione debere compellare, ut pro mea necessitate orent. Ita enim vel tribuerẽ ipsis, quòd desideria & gemitus cordis mei viderent, vel certè in oratione, quæ maximè religiosa esse debet, luderem. Hactenus Chemnitius. Ideò igitur precibus compellatoriis, ut eas suprà appellavimus, utendum non est, quia superfluæ sunt.

VII. Porrò eam etiam ob causam vel maximè precationes istas in ecclesiis nostris omittimus, quia periculosæ sunt, & nisi diligentissimè caveatur, ad superstitiosos cultus & manifestã tandem idololatriã viam muniunt, sicut idipsum experientia luculentissimè attestatur. Videatur hac de re Chemnitius, qui fusè id persequitur & demonstrat. Ego verba Gerhardi nunc adscribo, quibus causas hactenus allatas breviter ita complectitur. *Neq; quæstio est,* inquit (inter nos & Pontificios) *de nuda Sanctorum compellatione, quâ Sancti moneantur & invitentur, ut pro ecclesia in terris adhuc militante orent, quo modo à piis in his terris adhuc viventibus, vel corã, vel per literas petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, preces suas nostris conjungant, iisdemq; salutẽ nostram* DEO *fideliter commendent. Quamvis enim hanc defunctorum Sanctorum compellationẽ non simpliciter probemus, cùm illi non amplius ut Sancti in his terris adhuc vivẽtes rebus nostris intersint, nec de tali defunctorũ Sanctorũ compellatione præceptum, vel promissio, vel probatũ exemplũ in Scripturis extet, cumq; periculum subsit, ne ex tali compellatione absentiũ ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus, tamen ex confessione & praxi Pontificiorũ constat, quòd tali Sanctorũ compellatione non sint contenti; sed religiosè & suppliciter eosdẽ invocent, cultum adorationis ipsis tribuant, ad eorũ non tantùm intercessionẽ; sed etiam merita, opem & auxilium confugiant, spem & fiduciam cordis in ipsos collocent &c.* Ista Gerhardus.

Confess. Cathol. l. 2. Part. 2. art. 10. c. 2. § 6.

VIII. Malumus igitur nos Protestantes Catholici precatio-

cationes nostras ad Deum dirigere, ut Servator jussit, & viam nobis praeivit. Malumus omnes alias, praeter orationē dominicā, preces ad eum modū concipere, quem à Spiritu S. optimo precationes formandi magistro, in Scripturis S. edocemur. Malumus etiā aevo Apostolico & primorū seculorū praxi nos conformare: illo n. tempore martyres h.e. testes illi JESU magno numero vixerūt, quos ipse DEI Spiritus in Scriptura nobis commendat. Polycarpus, ut suprà vidimus, Deum Patrē nō per aliū, nisi *per aeternū Pontificem J.C. filiū ejus dilectū* laudavit & glorificavit. Et ista omnia certa sunt, & immotae veritatis. Quae a. seculo quarto & sequentibus de invocatione, seu cōpellatione Sanctorū paulatim irrepserunt, omnia sunt incerta. *Cur igitur propter incerta* (verba Chemnitij mea facio) *ea, quae certa sunt, relinquamus? aut quare certis incerta vel praeferamus, vel certè misceamus? Cùm invocatio maximè debeat religiosa esse, & certo ac firmo fundamento niti?* Ita Chemnitius. Ad eundem modū Apologia A.C. loquitur, quae inter symbolicos Ecclesiarū nostrarum libros proximū ab ipsa Aug. Conf. locum obtinet. Verba ita habent: *Adversarij non debebant nos ad rem incertam cogere, quia oratio sine fide non est oratio.* p. 295. de invoc. Sanct.

IX. Deniq; quis inter ipsos paulò moderatiores Pontificios non ultrò fateatur, rectius à nobis dici: *Jesu Christe miserere nostri, & sanctissimis precibus tuis apud Deum Patrem pro nobis intercede*, quàm ab ipsis: *S. Petre ora pro nobis?* Georgius Cassander, ut suprà audivimus, à Sanctorū invocatione ideò abstinuit, quòd tutius esse existimavit, Deum ipsum in nomine Christi, quàm Sanctos compellare. Johannes Hoffmeisterus, postquam multas veterum de invocatione Sanctorū sententias attulisset, cum autore librorum *de visitatione infirmorū*, ita concludit: *Tutiùs & jucundiùs loquor ad meū JESum, quàm ad aliquem sanctorū Spirituum DEI.* Ita Hoffmeisterus, qui unus ex numero Theologorum Pontificio-

ficiorum fuit, quorum censuræ de articulis A.C., cùm illa primùm oblata esset, requisitæ fuerunt, qui etiam præ cœteris animi moderatione claruit.

X. Finem facio & totam hanc de invocatione Sanctorum διατριβὴν claudo verbis Chemnitij, quibus ille historiolam quandã de Georgio Duce Saxoniæ, ex Erasmo item nonnulla cognitu utilia & perquam jucunda, exponit: *Audivi ex Sarcerio,* inquit, *cum Georgius Dux Saxoniæ in agone mortis constitutus esset, & Monachi certatim ipsum exhortarentur, alius, ut Mariam; alius, ut Angelos; alius, ut diversos Sanctos auxiliatores invocaret, tandem nobilem quendam Ducis familiarem accessisse, & Ducem ita compellâsse: Celsitudo Vestra in politicis negotiis semper usa fuit hoc proverbio: Rectà sine ambagibus progredi, esse viam maximè compendiariam. Quare igitur in hac via periculosissima celsitudo vestra tam varias ambages sectatur, & non potius invocatione sua rectà per Christum ad Deum ipsum, qui certò juvare & vult & potest, accedit? Erasmus suo more jocatur, cùm in naufragio quisq; ad suum sanctum, tanquam ad Deum tutelarem, invocatione confugeret, unum quemdam, cùm videret præsentissimum imminere periculum, quod moram longã & lenta auxilia non admitteret, varia cogitâsse, si Nicolaum suum invocaret, incertum esse, an audiret, & forsan aliorum votis audiendis & expediendis occupatum, non posse sibi tam citò vacare; aut si vellet, forsan non admitti tam citò ad audientiam apud Deum, tandem igitur id, quod certius & tutius esset, constituisse, se rectà ad ipsum Deum per Christum confugere velle, cùm Scriptum sit, Psal. 50. invoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & glorificabis me. Item, Ebr. 4. Accedamus ad Pontificem nostrum Christum, thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum.*

SOLI DEO GLORIA.